

171

naturales filii erant, ii nempe qui ex concubinâ suscipiebantur, quam uxoris loco habere concessum erat, uxorem ducere ex lege Papia & Poppæa vetitum; exemplo rem planam facio. Senatoribus libertina conjugia interdicta erant memoratis legibus; verum si Senator libertam conjugem accepisset, filii, quos ex ea suscepisset, spurii non erant, neque infames; filii naturales dicebantur, nomenque a matre accipiebant, cui patris cognomen addere aliquando consueverunt. Vide hæc fufius agentem Jo: Gottl. Heineccium in eruditiff. Comment. ad l. Juliam, & Papiam Poppæam lib. II.

L X X X V I.

Incriptionem hanc Cl. Fabretto acceptam referimus, qui eam Cap. I. Inscr. Dom. n. 61. ex Claudio Menetrerio vulgavit. **MACERIAS A FVNDAMENTIS.** Solebant Veteres sepulchra circumvallare, ut accessum prophanis hominibus, exterisque prohiberent; ac illud quidem adeo solenne fuit, ut quod in his munimentis, seu circumvallationibus impensum fuerit, funeris causâ factum esse responderit Macer in l. *funeris* 37. ff. de Religios. Hæc autem vel e marmore fiebant, vel e lapide, quandoque etiam ex ferro, plerumque tamen ex maceria. Hinc *maceria sepulchrorum* in vetustis Scriptoribus, quos vide apud Kirkman. de Funer. lib. III. cap. 17. *Maceriam in re funebri* Cl. Adriensis Episcopus a Turre in Commentario de Diis Aquilejensibus pag. 307. *murum esse cæmentitium* docuit, quo spatium ad sepulchrum destinatum quoquo versus concluderetur; verum haud satis hinc intelligi videtur mihi quid fuerit maceria: murus enim cæmentitius est, quicumque ex lapidibus rudibus, & informibus, quæ, ut Budæus docuit, *cæmenta* dicuntur, compactus est, adeo ut quivis fere murus maceria esset, quod profecto ferri non potest. Ac ego quidem maceriâ murum ex lapidibus, seu lateribus sine calce (*) factum significari arbitror, quorum in mediterraneis Italiæ locis, ac præcipue circa Apenninum usus adhuc maximus viget. Hinc facile intelligimus quo pacto maceria illa, quam, ut habetur in Trucul. Act. II. Sc. I. rusticus adolescens nocte transibat,

Y 2

slibat,

(*) Non ignoro Catonem Cap. 15. de R. R. *maceriam* ex calce & cæmentis vel silice adificari palam docere. Verum aut corruptus Catonis est locus, atque ita restituendus Maceria sine calce ex cæmentis vel silice ædificetur: quod ipsismet indicare videtur, quum eam sublini oportere mox scribat, aut abusive Cato *maceriam* dixit murum istum, quo villam circumcludi volebat, ea forsasse de causa, quod munitiones ista ex maceria plerumque fierent.